

200 iudices Regii pronuntiant per modum causæ, scilicet, iudicem ecclesiasticum vim fecisse, vel non fecisse, in eo quod appellationi partis non detulerit, non autem pronuntiare, quod iudex ecclesiasticus iuste, vel iniuste processerit, quod & eleganter declarat Navarr. in cap. cum contingat, pag. 149. vers. 3. idem non obstat, & hoc iure utimur & quotidie practicamus.

201 Hæc sunt, quæ de hoc articulo tractarunt Doctores uni alteros insequentes ulterius non iustificantes, nec corroborantes hunc articulum, quibus & tu addere poteris celebrem glossam in cap. dilecto, verb. sibi met, & verb. utrumque maximè, verb. suffragari, ibi; sed hic loquimur de executione ipsius gladii (scilicet temporalis) non in modum iustitiæ, sed defensionis, &c. quæ sunt notabilia de sentent. excommunic. lib. 6.

202 Quorum doctrina noviter à nobis altius, & ulterius, fundatur, quoniam huiusmodi recursus nec ratione formæ, nec ratione materiæ, jurisdictionem desiderat, nec potest, nec ea indiget, quia subiecta materia non patitur, nec etiam necessaria est; ratione formæ, & modi procedendi ipsa demonstrat aperte, ut in sæpè repetita lege Regia 36. & non latius cap. seq. & quia in clericis iudex laicus exercere non potest, ut incapax.

203 Rationem materiæ sic probò, primò quoniam hæc cognitio est nuda defensio & absoluta Regis facultas, vis protectiva, & defensiva: etenim vis protectiva in ordine ad tutelam, & defensionem abstrahitur, & consideratur de per se, extra jurisdictionem, quod

204 mihi probet eleganter textus in §. 2. instrum. de tutel. ubi tutela est jus, ac potestas in homine libero, ad eius defensionem, cui non subest, quoad jurisdictionem, quia tutor est privata persona, sed quoad tutelam, protectionem, & defensionem, quod monstrant illa verba; (in homine libero) quæ sic interpretor, & intelliguntur (quod & nostræ considerationi rectius arridet) si memineras, nos superius probasse à n. 76. Principem supremam dici tutorem reipublicæ, & vassalorum in hoc sensu, ut sub eius protectione sint, ne ab aliis vi opprimantur, nec vexentur: ergo sequitur, quod vis propulsiva, & protectiva, qua Princeps aliorum vim repellit, jurisdictionem non indiget, & absque illa esse potest, quod per Rotæ decisionem statim citandum ulterius corroboratur.

205 Secundo, quoniam Principibus Christianis, à Deo, Sede Apostolica, & Romanis Pontificibus, ac legibus positivis commendata est protectio clericorum, & Ecclesiarum, ut ex sacro Concilio Tridentino & ex aliis pluribus iuribus, & auctoritatibus abundanter probavi supra in prælud. 2. per totum, quod non repeto, & faciunt etiam quæ diximus in prælud. 1. à princ. Sed sic est, quod cui protectio alicujus commendata est per Summum Pontificem, aut alium Principem, non ideo censetur concessa jurisdictione, sed solum defendere ab oppressionibus, ergo nec hic Minorem elegantissime, probat mihi Geminian. in cons. 81. per totum, ubi dicit quod protector alicujus universitatis, vel commendatæ tenetur recommendatum defendere, si iniuste opprimatur, prout principes sæculares, qui tenentur protegere Ecclesiam, & alia pia loca, ex quo infert, quod habens, aliquem recommendatum, vel sub protectione, non dicitur habere sub suo gubernio, vel jurisdictione, quæ est stupenda doctrina, ad nostrum propositum, quam ad idem referens sequitur Cardin. Tusc. præti. conclus. tom. 6. littera P. n. 1. & 2. ubi dicit idem de verbo ad verbum.

Et quod quando aliquis ex privilegio Pontificali recommendatur protectioni alterius, non censetur in protectorem transire simul jurisdictionem, sed defensionem nudam ab oppressionibus, nec à jurisdictione suorum iudicum intelligantur eximi; optimè notat gloss. in leg. fin. de confirmatione utili, vel inutili, & plenè per Bartol. in l. 1. de excusat. nu. lib. 10. quos se-

quitur Joan. Petr. Ferrar. in præti. tit. de forma appositionis. contra instrum. §. aliis rationibus, & causis, n. 3. fol. mibi. 231. & est textus singularis in cap. ex parte 18. cujus sunt verba: ex parte tua fuit quaesitum utrum clericus, & laici, qui literas protectionis ostendunt, in quibus personæ suæ expresso nomine, cum omnibus rebus suis, sub Apostolicæ protectione consistere declarantur, à jurisdictione Episcopi diocesani sint exempti: Nos autem respond. quod per litteras huiusmodi ab Episcoporum suorum potestate minimè subtrahuntur. Hactenus de insigni textu de privilegiis in decretalibus.

Qui text. utramque nostram intentionem probat, & quod per huiusmodi protectionem clericorum Principibus temporalibus commendatam, non censetur illorum jurisdictioni clericos submittere, nec à jurisdictione ecclesiastica extrahere, prout nostro in proposito, in quo tantum ad violentiam tollendam adhibetur cognitio extrajudicialis, an appellatio suspendat vel non, ut violentia iudicis detegatur, ob negatam debitam delationem appellationis, cujus cognitio, an iusta, vel iniusta sit, tam appellationis, quam sententiæ superioris ecclesiastico præservata remanet; & est similis text. in cap. accepimus, in str. ibi, si vero ad iudicium perceptæ protectionis, consensus per solvitur, non ex hoc iuri diocesani Episcopi aliquid esse subtrahendum, &c. eodem tit. de privilegiis, ergo Principes supremi, quibus recommendata est protectio dumtaxat clericorum vi oppressorum, quoad defensionem sub protectionis limitibus contineri debent, nec excedendo legitimos protectionis & defensionis modos, ad jurisdictionem ecclesiasticam, & alienam ingrediuntur, & inde in Bullam in Cœna Domini, maximè cum ad tollendum violentias vis protectiva, & nuda Regia potestas sufficiant, juxta subiectam materiam, quæ nec jurisdictionem patitur, neque ea indiget.

Et hoc eodem modo augmentatur Mar. Anton. Macerat. variar. resol. lib. 1. resol. 6. n. 6. post Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 4. casu 337. n. 7. Gabr. cons. 195. n. 1. cum sequentibus, ubi probat, quod cum Principes Christiani sint ipso iure protectores Ecclesiæ, clem. 1. §. ergo de iur. iur. ut alicujus etiam particularis Ecclesiæ, aut Hospitalis illis specialiter protectio concessa à Summo Pontifice, neque acquirat jurisdictionem, nec illam tollit jurisdictionem superioris ecclesiastici, nec ea potest Princeps inducere, aut probare superioritatem aliquam circa eandem Ecclesiam, aut hospitalem, & eius bona aut iura, quod est notandum.

Tertiò non minùs subtiliter hac nostra propositio comprobatur, etenim admissibilitas seu non admissibilitas appellationis respectu iudicis à quo, est quid facti, quia ipse citra delationem, vel non delationem, appellationis jurisdictione caret, nisi prout est quid facti, nam abstinere à receptione appellationis, vel ei deferri est quid facti, absque adminiculo jurisdictionis: ita eleganter dicit Philipp. Franc. in cap. constitutus 45. sub n. 9. de appellat. quem referens sequitur Escacia de appellat. qu. 11. art. 1. sub n. 4. vers. infero ex hac secunda, quare non potest se intromittere in appellationis justificatione, vel in iustitia, nec pronuntiare, quoad partes an sit admittenda, vel non, sed pronuntiare limitatè factum proprium; & respectu suæ personæ, tantum scilicet defero, vel non defero, admitto, vel non admitto appellationem, nam in universum pronuntiare, ut legitimam admittendam, vel non, pertinet iudici ad quem, qui habet jurisdictionem non ad eum qui ea caret, per appellationis interpositæ effectum suspensivum; larissimè post Conrad. & alios prosequitur Escacia ubi proxime à num. 1.

Ex quo infert ipse Escacia, ibi sub n. 4. vers. infero ex hac, cum Philippo Fran. in d. cap. constitutus sub n. 19. de appella. quod cum iudex debeat ac sui solam instructionem

tionem cognoscere de qualitate appellationis, non debet quoad partes (ut faciat jus) pronuntiare, sed quoad se dumtaxat, & ad sui instructionem, quia non habet jurisdictionem, nisi prout sit admissibilitas, quid facti, dicendo defero, vel non defero, admitto, vel non admitto, ad quam cognitionem qualitatis appellationis, quoad sui instructionem in hoc casu (quæ est quid facti) non indiget jurisdictione, nec est necessaria: quia nihilominus quod caret jurisdictione suspensa per legitimam appellationem, tacitè à iure sive sit ab eo admissa sive non: textus optimus in l. 1. ibi appellatione interposita, sive recepta, sive non; medio tempore nihil novari oportet, siquidem fuerit recepta appellatio, quia recepta est, si verò non est recepta, ne præjudicium fiat ei, quoad deliberetur, ut tum recipienda sit appellatio, an non sit, nihil novari appellatione pendente, tamen cognoscere potest de hac admissibilitate, & qualitate, sive natura appellationis, an debeat, vel non deferre, & sic extrajudicialiter.

Ex qua miraculosa doctrina literis aureis describenda, tres mirabiles & ultissimi oriuntur effectus, quoad hanc nostram cognitionem extrajudicialem per viam violentiæ, & ejus justificationem cui libenter arridet. Primus, quod cum in Senatu adito per viam recursus, ut deferat iudex appellationis & reponat attentata, agatur dumtaxat an appellationi debeat deferri vel non (interim dum superior aditus aliud censet) de cujus qualitate, & natura informatur extrajudicialiter ad sui instructionem, tantum per actorem inspectionem, quod est quid facti, sequitur manifestè, ut jurisdictione non egeat, quia subiecta materia, nec patitur, nec illam desiderat, etiam in eodem iudice, quia sententiam tulit, ex eodem Franc. & Escacia supra citatis.

Quartò fulcitur nostra propositio ex secundo effectu proximè præcedentis doctrinæ; enim vero si à Senatu in huiusmodi salutari recurso cognitio adhibetur ad sui instructionem, & animi informationem ex actorem inspectione, ut appellationis natura cognoscatur, ut dictum est, ergo sequitur quod procedit extrajudicialiter, quoniam in commutabilis est, & recepta doctrina; quod quando informatio assumitur ad solam instructionem, & informationem Curie, cognitio & processus est omnino extrajudicialis; & in ea, nec servatur, nec attenditur forma, nec solemnitas judicialis, quia totaliter extrajudicialiter, & absque jurisdictione proceditur Bal. in l. 3. §. si tibi, col. 2. vers. sed pone, juncto vers. sed an ista, ff. de cond. ob turp. caus. Alberi, de malef. in tractatu de testibus, cap. 7. post n. 38. Angel. tract. de malef. in verbo quod forma publica, n. 11. Scilicet. in l. fi. D. de quest. Marfil. in l. de unquoque, n. 35. vers. dicas tamen, ff. de re judic. & post n. 81. Bonif. de Vitali. in clem. 2. n. 89. Marant. de ord. judic. 6. p. memb. 1. rubric. de citatio n. 20. Mascar. tract. de probatio lib. 1. in præfatione. q. 5. num. 39. & lib. 3. concl. 1366. n. 6. Flamin. Chartat. in tractatu de exequut. sentent. cap. fin. n. 175. & in præti. interrog. reorum, lib. 3. c. 3. n. 6. Bertazol. consil. 353. n. 4. vers. secundo dato, lib. 2. & videnda, quæ in hunc sensum congestit Marefcot. variar. resol. lib. 2. c. 1. n. 51. post alios, de quo nos latissimè infra, 2. p. cap. 12. per totum, & etiam 13. ubi plures doctrinas, & auctoritates, in comprobationem reperies. Ergo de primo ad ultimum sequitur subiectam materiam non pari jurisdictionem, nec ea indigere, cum sit quid facti, maximè quia respectu Senatus multò inferior & debilior est huius articuli cognitio, quam in iudice à quo, quia in ipso non adhibetur ad effectum deferendi appellationi, vel non, quia ipsemet Senatus non doctet, sed provocat, & incitat iudicem à quo, ut deferat defendendæ quo longè minus est, & sic multo minus jurisdictione eget.

Tertius effectus ex prædicta doctrina Philippi Fran. & Escacia resultans ille est, quod cum admissibilitas appellationis, vel non admissibilitas, hoc est deferen-

dum, vel non deferendum, sit quid facti, ut merito Princeps sæcularis cognoscere possit, quia de facto etià rei spiritualis iudex sæcularis incidenter cognoscere queat, plures citat Covarr. in 4. 2. p. cap. 8. §. 1. 2. n. 3. & in præti. cap. 35. num. 1. vers. quibus. Nat. cons. 411. num. 1. Chassā. in Consuetudin. Burgund. rubric. 1. vers. Esaroc. de vellis, n. 109. in fin. celum. 8. Nival in explicat. Bulla Cane Domini n. 103. Gutierrez. lib. 1. canonic. quest. c. 34. n. 17. Cevall. comun. contra. quest. 403. ex num. 1. Mier. in tractatu de majora. 3. p. quest. 15. ex n. 16. Cæned. in quest. canon. 45. n. 17. plures congerit Sese tractat. de inhibito. c. 8. §. à n. 4. cum sequentibus, n. 22. & 23. nostras Joā. Garc. de nobilit. gloss. 1. à num. 27. hinc pro observatione juramenti iudex laicus cognoscit cap. licet. de jur. l. 6. & in possessorio rei spiritualis ut ipsi & alii late probant, & novissimè Torre blanca in tract. de magia, lib. 3. c. 26. n. 9. & seqq.

Quintò corroboratur nostra principalis doctrina, & propositio: nam si iudex inordinate procedit, & contra jus exequitur suam sententiam, ut privatus procedere dicitur, & absque jurisdictione, Avenda. in cap. 2. prato. cap. 12. & c. 11. num. 9. Areved. in l. 31. tit. 6. lib. 3. recopil. Mexia super l. Tolet. fundat. 2. p. 11. n. 34. & seqq. fol. 106. vide quæ nos latius hac 1. p. c. 3. à n. 12. ubi magnam Doctorum catervam congesti, ubi iudex qui de facto processit, de facto, & sine jurisdictione reponere debet, quia ad repositionem attentatorum, quæ de facto facta sunt, & finita jam jurisdictione, jurisdictione necessaria non est ex celebri doctrina Romani, cons. 320. incipit. hæc istorum, n. 4. vers. quo igitur, & col. fin. Card. Tusc. præti. concl. tom. 3. littera E. concl. 111. n. 12. quos sequutus sum, & comprobavi d. cap. 3. à num. 15. & supra, quia facta de facto reponuntur: ergo cum in huiusmodi salubri cognitione per viam violentiæ illud dumtaxat queratur, ut appellationi legitime deferatur, & attentata violenter reponantur à iudice, sequitur, ut ad id jurisdictione necessaria non sit, sed politica Principis potestas, & nuda defensio, cujus proprium officium est, ut repellatur violentia, prout quilibet privatus, & ipsa pars oppressa poterat licitè resistendo facere, & sibi jus dicere, quod ut urbanè fiat, & absque scandalo recurri ut ad Principem, secundum ea, quæ exactissimè diximus in proposito supra prælud. 3. per totum, & præcipue in vers. quod & ex eo probatur à num. 85. ergo sequitur quod Princeps in tollenda hac vi, extrajudicialiter procedat, & non cum jurisdictione aliqua, qua subiecta materia non eget.

Sextò hanc nostram doctrinam mihi probat expressè Rot. Romana in una Oseens. Canonicatus Venetis 1. Decemb. 1596. quam ad litteram refert Sese de inhibito, cap. 8. §. 3. n. 109. fol. 599. qua postquam probatus est recursus ad Regem ad tollendam violentiam, per modum jurisdictionis, & contentiosum iudicium in hæc inquit; Neque decisiones Rotales Achilles 6. de appellat. in impressis & R. P. D. Decani in illa Tarraconen. Villæ de Reus die 4. Decemb. 1592. & R. P. D. Blancheti in Salmatin. canonicatus die 24. Maii proximè præteriti suffragabantur Paulo, quia licet per illas decisiones concederetur facultas, quandoque recurrendi ad iudices laicos, & invocandi nudum eorum auxilium ad defendendum & propugnandum possessionem, qua quis de facto spoliatur, & quam quis propria etiam auctoritate defendere possit; nusquam tamen dicitur in eis: quod talis recursus fieri possit ad effectum obtinendi inhibitiones, & mandata contra prælatos, & iudices Ecclesiasticos hoc enim nunquam docuit Rota, quæ optimè novit, iudices laicos, nec actu nec habitu habere jurisdictionem in clericis, imò illius esse penitus incapaces, arg. c. causa, de rescript. & cano. Sacerdotibus, 11. qu. 1. & c. Ex qua decisione aperte probatur, quod recursus ad Regem inter ecclesiasticas personas non est habilis, nec capax jurisdictionis, sed

fed nuda defenſio; & auxilium ad propulſandum violentiam.

221 Hoc idem aperte probatur ex Rotæ deciſione in una Caſar. Auguſtana juris eligendi coram Domino Ordino 7. Februar. 1561. & alia Ver. jactationis Parochialis de Aldea coram Paleoro ſub die 27. Junii 1561. ut eſt in recollectis ejuſdem Paleori, *deciſ. 372. incipit, dubium erat,* quas ſequitur & teſtatur Lancelot Robert. *de attent. 2. p. cap. 4. limi. 1. n. 38.* quibus in terminis reſolutum fuit, quod ſi Couſilium Regium, cujus aditus fuit reſcurſus ad tollendam violentiam, ultra manutentionem poſſeſſionis (quod eſt merum factum) aliud faciat, putâ ſequeſtrando, & ad manus Curia rem de qua agitur apprehendendo, nihil agit quin tunc modus legitima defenſionis exceditur, & ad actus juridiſtionales ſe extendit, ut dictum eſt; quibus omnibus fundamentis ſatis comprobata remanet aliâ ſimplex & nuda Doctorem aſſertio (vera tamen propoſitio) ut in hac cognitione per viam reſcurſus & nuda defenſionis ad liberandum vi oppreſſos per Eccleſiaſticos judices extrajudicialiter procedatur, abſque juridiſtione, nec umbra illius, quia ſubjecta materia nec ea indiget, nec illam appetat unquam, ut modus & forma procedendi, de qua in *cap. ſequenti* eſt agendum, evidenter demonſtrat.

Reſponſio argumentorum.

ET licet ex his quinque Præluſiis tam dilucidè comprobatis, ac diſtinctè & explicite ordinatis, præ cæteris omnibus Doctorem hujus juſtificationis articulum tangentibus, ut tibi ad oculum evidenter apparet, facillimè potes deducere, quid cunctis difficultatibus ſit reſpondendum, nihilominus libet brevius, & ſigillatim explanare.

222 Et in primis non obſtat prinum argumentum pro contraria parte ſuprà adductum à n. 8. ex Concilii Trident. loco *de reformat. c. 3. ſeſſ. 25.* cui reſpondet Salced. in *additio. ad Bern. Diaz. in pract. in c. 102. litera A. verſ. parique ratione,* ut procedat quando ſæculares magiſtratus tanquam judices appellatiſ, veluti juridiſtione ſpiritualli utentes, intenderent excommunicationem revocare, aut temperare, ſecus autem (inquit ille) ſi ad tollendam vim ab Eccleſiaſticis judicibus illatam dicto remedio, & reſcurſu, uterentur, quem intellectum non admittit noſtras Gaſpar. Rodrig. *de annis reditib. lib. 1. cap. 17. nu. 73. ad medium,* ex eo quod hætenus auditum eſt, ſæculari judicem in cauſis Eccleſiaſticis in appellatiſ instantia cognoviſſe: nec illa verba dicti Trid. *ibi,* aut mandare, ut latam excommunicationem revoces) convenire interlocutioni, in cauſa appellatiſ prolata, nam appellatiſ judex inferioris ſententiam revocat, non tamen præcipit, ut judex inferior revocet, quod verum eſt, & ideo reſpondet ipſe Rodrig. quod ea verba videntur pertinere ad violentia decreta, niſi dixeris (inquit ille) verba Concilii non comprehendere ſuprema Regia tribunalia, ſed magiſtratus duntaxat, & judices inferiores, quibus ex cognitio per viam violentia jure non competit, ut ita intelligantur verba ejuſdem Concilii, *ibi,* neſas ſit ſæculari cuilibet magiſtratu, quæ non videantur dirigi in Regia majeſtatem, nec ejus ſuprema tribunalia; ex eo quod Reges ſicut dignitatis altitudine præminent, ſic prærogativa gratia ipſos convenit anteferri, *cap. ſin. de off. delegat. in 6.* & ideo ſub clauſulis generalibus ſublimem non continentur, *argum. cap. ſedes, de reſcript. cap. de multa de præbendis. Reb. in pract. 1. parte ſignatu. n. 62.* facit regula Cancellar. 40. *de derogatione juris patronatus,* ubi in diſpoſitione generali non comprehenditur Rex. Mandof. *regul. 13. de reſervatione, qu. 15. n. 3.*

224 Sed ſalva pace tantorum virorum utramque interpretationem ejuſdem Concilii verba expreſſè abhorrent, à

quibus quidem alienam eſſe apparebit, quia Trident. nec loquitur de magiſtratu, & judice, ut ſuperiore cognofcente de excommunicatione tanquam judice appellatiſ, ut putavit Salced. ex eo quod in eum inſurgit (& bene) Rodrig. non quidem ex prima ejus ratione, quia debilis eſt, ſed ex ſecunda nec etiam loquitur in cognitione per viam violentia, ut exiſtimat Rodrig. dum excipit Reges, & ſuprema tribunalia, ut dictum eſt.

225 Quorum Doctorem in modum miror tam clara diſpoſitione vel interpretari ſeu potius cavillari, & in dubium redigere, vel contra text. *in l. ille aut ille 25. de leg. 3.* quid ergo in illius textu litera obſcurum aut intricatum invenire, ut quaſtioni locus foret, enim verò textus ille ſic ſimpliciter, & prout jaet adhuc in ſenſu literali nihil addito, nec detracto, intelligendus eſt: nam poſtquam normam excommunicandi judicibus tradit, prohibere Eccleſiaſtico judici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut latam excommunicationem revocet, ſub prætextu, quod contenta in præſenti decreto non ſunt obſervata: (reddidit rationem) cum non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos hæc cognitio pertineat; textus etenim generaliter loquitur, ut nullus judex de facto impediatur, perturbetur excommunicationem non ut judex appellatiſ: ut putabat Salced. ſed quomodolibet impedire voluerit, quocumque genere impedimenti, & perturbationis; ſive occasione juridiſtione, ſive de facto mittendo ſalem in meſſem alienam, aut juridiſtione Eccleſiaſticam uſurpando, prout indicant illa verba Concilii *ibi,* cum non ad ſæculares, ſed ad Eccleſiaſticos, &c. ita ut illius textus decilio non ſe reſtringat ad aliquam ſpeciem perturbationis: ſed generaliter loquitur, prohibendo ne ſe magiſtratus intromittat, quo decreto illud idem quod jure communi diſpoſitum erat, generaliter, ut judex ſæcularis non ſe inferat in Eccleſiaſticis cauſis, aut ſpirituallibus, ſpecialiter hoc decreto continetur reſpectus excommunicationis, ut illam nullo modo impediatur, non ſe reſtringendo ad aliquam ſpeciem perturbationis, ſed generaliter de quibilibet omnibus impedimentis; nec eſt novum ut Concilium Tridentinum diſponat idem, quod jus commune, ut illud noviter ſuſciteret, renovetur, ac ſit in viridi obſervantia, ut conſtat ex plurimis decretis Tridentini, prout in *cap. 4. ſeſſ. 21.* quo continetur idem quod *cap. ad audientiam, de Eccleſ. ediſ. & in cap. 4. ſeſſ. 7. re reſorm. idem diſponit quod cap. de multa, & ſic de aliis.*

226 Et ſic ſub tanta verborum generalitate, non eſt comprehendendum tam ſalubre remedium, & charitativum ſubſidium, miſeris, & oppreſſis ſpecialiter à jure canonico ex ratione, & principiis juris naturalis, & divini permiſſum, longo uſu immemoriali conſervatum, ſuper quo, cum Tridentinum nihil ſpecialiter inducat, ſed generaliter potius diſponat, hanc limitationem à jure approbatam debet accipere, quia lex nova generaliter confirmatoria recipit eam limitationem, quam lex confirmata, juxta *l. ſciendum, juncta gl. ibi, commun. notant Doctores, ff. qui ſatiſd. cogant. & in l. 3. C. de ſilentiariis, verbo decurionibus,* communiter approbatam, & in *l. hac conſultiſſima in princ. gl. 3. C. qui teſtant. facere poſſ. B. in l. ſed & ſi poſteriores, & ibi Joan. Oroſius n. 12. ff. de leg. & in l. 1. n. 33. de conſtitu. Princip. poſt l. ibi n. 16. Mencha. de ſucceſſ. creat. §. 3. n. 10. Covarr. in rubr. de teſt. 2. p. n. 19. Mexia in l. Regia Tolet. 2. p. in 6. fundam. n. 18. cum ſequentibus, Gutier. practi. q. civi. l. 4. q. 1. n. 4. Greg. Lopez in l. 7. tit. 13. p. 6. gl. 9. & quia quando aliqua lex loquitur cum aliqua qualitate ad ſui intellectum, trahit omnes alias, quæ in illo propoſito ſimpliciter, & generaliter loquantur, Alberi. de Roſ. in l. ſi quis in princ. rit. n. 2. in ſecunda oppoſ. ff. de legat. 3. Socin. jun. in l. cum filio famul. verſ. venio ad apparatus gloſſa, n. 46. de leg. 1. dicit notabile Cardial. Mantii. in tractatu de contract.*

227 *tom. 1. l. 4. tit. 2. n. 11.* & ſic cum Concilium generaliter de omnimodo impedimento loquatur, non debet intelligi in hoc ſaluberrimo reſcurſu ſpecialiter, à jure canonico pluribus decretis excepto, permiſſo, reſervato, & exceptuato, ob bonum, & utilitatem rei publicæ Chriſtiane, ne reſpublica turbetur, & bonum publicum detrimentum patiatur. Et ſi illud remedium, & charitativum ſubſidium violuſſet Concilium Tridentinum comprehendere, & ſubvertere, expreſſiſſet utique, juxta text. in *cap. inter corporalia, verſ. unde, ibi,* unde ſi circa translationem id fieri voluſſet, quod de ceſſione dixerat, & de translatione poterat, expreſſiſſet, & c. de translatione Episcopii, textus optimus in *c. ad audientiam, ibi,* nam ſi intelligeremus tantum de novalibus, ubi ponimus de laboribus, de novalibus, poneremus, & c. de decimis, text. in *l. unica, §. ſin autem ad deficientis, ibi,* nam ſi Concilium volebat, nulla erat difficultas conjunctim ea diſponere, C. de caducis tol. ita Cervantes in *l. 3. Tauri, n. 84.* per Bal. in *d. §. ſin autem. latè Guertierr. conſ. 13. num. 17.* & ex aliis doctiſſimis Caſtellus *quotidian. controverſ. l. 2. c. 4. à n. 26.*

228 Et hoc noſtro novo, & veriſſimo intellectu ad Concilium Tridentinum, venit reprobandum Ceval. in *qu. 897. n. 126.* dum reſpondet ad idem Tridentinum, ut loquatur, quando judex ſæcularis vult cognofcere de excommunicatione per viam appellatiſ principaliter, vel incidenter per modum juridiſtione, an ſententia ſit juſta, vel non, an potuiſſet Eccleſiaſticus, vel non potuiſſet excommunicare, quod falſum eſt: nam ſi ille textus de illo impedimento tantum loqueretur, ſequeretur abſurdum, quod potuiſſet de ipſe cauſa cognofcere quilibet judex ſæcularis, de quo loquitur Tridentinum extrajudicialiter; ſed hoc eſt falſum; quia etiam extrajudicialiter alius quam Princeps, & ejus ſuprema tribunalia, quod idem eſt, cujus proprium officium eſt, non poteſt de hujusmodi violentia cognofcere, ut dicemus latius in *c. ſeq. ergo dicendum eſt,* ut Concilium Tridentinum loquatur de quolibet impedimento factò à judice ſæculari, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter, & de facta quomodolibet ſe intromittente.

229 Et ſic cum Concilium Tridentinum generaliter loquatur, nullo modo intelligitur, nec diſponit de hoc ſpecialiſſimo juris remedio, & reſcurſu, nec talis defenſionis facultas omni jure Principi competens comprehenditur ſub tali decreto, tenent Azeved. in *lib. 2. tit. 6. l. 1. recopil. verſculo item & de uno quarto,* ubi latiffimè Bobadill. in *Polit. l. 2. n. 18. n. 139. & c. 16. n. 90. Humada in l. 3. tit. 13. part. 2. in gloſ. 4. in verbo, niſi verſ. ga, Vivald. in explicatiſ Bulla in Cæna Domini. n. 109. & cum Azeved. Salzed. & Bobad. idem dicit poſt hæc Ceval. in *Epistol. ad Regem, n. 94. & iterum in qu. 897. n. 133.* & ſuprà idem tenet Vivald. in *Candel. aureo, in explicati� Bulla in Cæna Domini, part. 2. caſ. 16. à n. 114. Barboſ. in remiſſ. ad Concil. Trident. d. c. 3. ſeſſ. 25. de reſorm. n. 4. ſuper verſculo neſas autem ſit, & c. Caxned. in q. Cano. 45. n. 2. & præcipue ſub n. 7. & ſub n. 60.**

230 Nec obſtat ſecundum argumentum contra noſtram cognitionem per hanc viam violentia ſuperius ad principium appoſitum numero 30. ex Bulla in Cæna Domini, c. 13. l. 15. & 16. quæ magis in ſpecie videntur repugnare hujusmodi Regio reſcurſui per hanc viam violentia, cui reſpondent omnes communiter Doctores tam Theologi, quam Juriftæ ſtatim citandi, ut procedat, & habeat locum quando Judex ſæcularis, & ſuprema tribunalia volunt, judices, & cum juridiſtione ſe intromittere in cognitione rerum ſpirituallium, aut aliâ Eccleſiaſticarum, hoc animo, & intentione, ut violetur libertas Eccleſiaſtica, & uſurpetur ejus juridiſtione ad effectum impediendi cognitionem, & proceſſus Judicum Eccleſiaſticorum indebitè, & in caſibus à jure non permiſſis, quia tunc talia facientes in cenſuram ejuſdem Bullæ incident, ut expreſſè probant Salgado de Protect. Reg.

ejuſdem Bullæ verba in caſu 14. *ibi:* Excommunicamus & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel per alios autoritate propria, ac de facto, &c. beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales; & ſpirituallibus annexas, ab auditoribus, & commiſſariis noſtris, aliſve judicibus Eccleſiaſticis, vocant, illarumve curſum, & audientiam, &c. cauſæ ipſas proſequi volentes, impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam judices interponunt, &c. (& iterum, *ibi,* vel alias compellunt, vel executionem literarum Apoſtolicarum, ſeu exequutorialium proceſſuum, ac decretorum prædictorum quomodolibet impediunt, &c.) ponderatis verbis ſupradictis, *ibi,* avocant, (& *ibi,* impediunt) & *ibi,* tanquam judices. (quæ expreſſè denotant procedere in quibuſcumque perſonis, ut judicibus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus de facto, ſeu ut judicibus, ſe intromittentibus, & impediuntibus curſum cauſarum cum juridiſtione, & per modum cognitionis, prout inſuper colligitur ex eodem *cap. 1. 4. ad finem,* *ibi:* Eriamſ Imperiali, Regali, Ducali, vel alia quacumque præfulgeant dignitate, aut Archiepiſcopi, Episcopii, Abbates, Commendatarii, ſeu Vicarii fuerint, &c.) & probantur etiam maniſeſtè in *d. caſ. 15. dictæ Bullæ, ibi:* Coram ſe ad ſuum tribunal, audientiam, Cancellariam, Concilium, vel Parlamentum, præter Canonici diſpoſitionem trahunt, vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quaſito colore;) & in caſu 6. evidenter etiam probatur, *ibi:* Et omnes alios, quocumque judices Eccleſiaſticos ordinarios quomodolibet impediunt, quominus ſua juridiſtione Eccleſiaſtica, contra quocumque utantur, ſecundum quod Canones, & ſacræ conſtitutiones Eccleſiaſtica, & decreta Conciliorum generalium, & præſertim Tridentini, ſtatuunt, ac etiam eos, qui poſt iſtorum ordinariorum, &c. ſententias, & decreta; aut aliâs fori Eccleſiaſtici judicii illudentes ad Cancellarias, & alias Curias ſæculares recurrunt, & illis prohibitiones, & mandata etiam pœnalia, &c.

231 Ex quibus quidem verbis clariffimè conſtat, injuſtè impedientes de facto, & contra juris diſpoſitionem impediunt juridiſtione Judicum Eccleſiaſticorum dumtaxat; incurrere in Bullæ cenſuras, volentes juridiſtione Eccleſiaſticam uſurpare, ut bene declarat *ſeſe de inhibitiſ. cap. 8. §. 3. num. 102.* ubi verba, quibus utitur Bulla, neceſſariò intelligenda ſunt de actionibus injuſtis & contra juris permiſſionem, & denotant etiam illa verba, præſumunt) De quibus in *d. Bulla, cap. 13. ad fin. quæ præſupponunt dolum,* ut per Fel. Marſi. Deci. Craver. Turrec. & Plotum tenet Marcus Ant. Marcerat. *variæ reſolut. lib. 3. reſolutiſ 19. num. 9.* qui etiam idem dicunt de verbo, audeant.) At verò quado juridiſtione Eccleſiaſtica non impeditur, prout non impeditur, ſed potius auxiliatur, & favetur, quando recurritur ad ſupremum Principem, & tribunalia pro tollenda violentia facta à judice Eccleſiaſtico, neque judex Eccleſiaſticus impediendo curſum appellatiſ legitima ad Sedem Apoſtolicam, exequatur ſuam ſententiam, reponantque omnia attenda violenter, quo caſu Princeps non ut judex (ut dicit d. Bulla, *ibi,* tanquam judices, &c. & *ibi,* avocant,) quod non ſit abſque juridiſtione, juridiſtionaliter, & in forma judicii procedens; ſed extrajudicialiter, per nudam defenſionem, & abſolutam Principis poteſtatem, abſque umbra juridiſtione, quam forma procedendi, & ſubjecta materia excludit, quia juridiſtione capax non eſt, nec ea indiget, de quo latiffimè præ cæteris aliis examinavi ſuprà, præluſ. per totum.

232 Quæ quidem extrajudicialis, & nuda defenſio omni jure naturali, divino, Canonico, Civili, Regio ac conſuetudine immemoriali Principi ſupremo commendata eſt, & attributa, ut de ſingulis latè in præluſ. 3. per totum; ac ideo tantum abeſt, quod ſit à Bulla excluſa, D quin-